

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius, SS.
Theol. D. P.P. & Superint. Ad Exequias, Quas ... puerulo Thomae Alberto
Lindemanno, Filiolo desideratissimo, Parentes Moestissimi Hodie ... paratas
cupiunt Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1657


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770290825>


Druck Freier  Zugang



Mavritius, C.
in
T. A. Lindemann.
Rostock. 1657.

19





PROGRAMMA

Quo

RECTOR UNIVERSITATIS
ROSTOCHIENSIS

CASPARUS MAVRITIUS.

SS. Theol. D. P. P. & Superint.

Ad Exequias,

Quas

Scitissimo suavisimòq; puerulo

THOMÆ ALBERTO
LINDEMANNO,

Filiolo desideratissimo,

PARENTES MOESTISSIMI

*Hodie ad horam primam in templo Petrino,
paratas cupiunt*



Omnes omnium ordinum Cives Academi-
cos sedulo & officiosè invitat.

✻ (o) ✻



ROSTOCHIA, Typis Hæredum NICOLAI KILII
Acad. Typogr. Anno 1657.



Imperatoris Turcici ea est consuetudo, ut nonnunquam ad subditos fatales literas mittat, sua manu subscriptas & nigro holoferico obvolutas, quarum summarium est: *Mitte mihi caput tuum.* Ejusmodi literas Imperator cœli terræq; ad omnes homines mittit in hanc sententiam: MORIEMINI. Nemini fas est resistere, nil juvat in lacrimas effundi, stat decretoria sententia. Ad hanc elidendam nihil valet fidei firmitudo: nemo quippe fide robustior Abrahamo fuit, quem sacræ literæ dicunt mortuū esse in canitie bona, & aggregatum ad populum suum. Nihil valet infucata pietas & ad leges charitatis exacta innocentia: erat quippe Moses fidelis in tota domo DEI & tanto charitatis gradu resplenduit, ut optaret anathema esse & deleri de vitæ libro, modo suo cum dispendio salus populi exædificari posset, qui tamen in monte Nebuntis in terra Moabitarum ex præstituta Jehovæ mortuus est. Nihil valet integer animus scelerisq; purus: HISKIA enim tantæ sibi integritatis conscius, ut dicere potuerit: *Obsecro, Jehovah, recordare jam, me indefinenter ambulasse coram te fideliter & corde integro, & quod bonum est in oculis tuis fecisse.* hanc vocem audit, *Dispone domuitua, nam brevi moriturus es, nec viues.* Nihil potentia & splendor hujus mundi valet ad propulandam vim fati. Quis enim splendidior Salomone? qui tamen occubuit cum Patribus suis. Quis Saladino potentior, Rege Ægypti, domitore Asiæ & Africæ, terrore

terrore orbis? ast hic paucis ante mortem diebus lin-
teolum, cui mortuus involvendus erat, circumferri
& publica præconis voce significari iussit, hoc solum
ex omnibus opibus & florentissimis possessionibus
mortuo relinqui. Severi Imp. vox erat: *Omnia
sui & nibilexpedi.* Idem diu contemplatus urnam,
in qua cineres post mortem ex prisco more erant re-
condendi, hæc tandem subiecit: *Tu virum capies,
quem orbis terræ non capit.* Summa, ad mortis vim
declinandam nihil valet sexus, nihil honos, nihil
ætas deniq;. Morimur omnes, etiam dum non-
dum morimur. Id quomodo fiat, rectè explicat
Hieronimus: *O si possemus in talem ascendere speculam,
de qua universam terram cerneverimus! Jam tibi ostende-
rem totius orbis ruinas, gentes gentibus & regnis regna
collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus
alios ad servitutem trahi: hic nuptias, ibi plaudium: illos
nasci, istos mori; alios affluere deliciis, alios mendicare, &
non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines,
qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur ser-
more rei magnitudine, & minus est omne quod dicimus.
Redeamus igitur ad nos, & quasi è cælo descendentes pau-
lisper videamus. Sentisne obsecro te, quando infans, quan-
do puer, quando juvenis, quando senex factus sis. Quo-
tidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æter-
nos nos esse credimus. Hoc ipsum, quod dicto, quod scribi-
tur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur.
Quot puncta notari, tot meorum damna sunt temporum.
Scribimus atq; rescribimus, transeunt maria epistola, &*

scindente soleum carina per singulos fluctus etatis nostra
momenta minuuntur. Quæ cum ita sint, quis mor-
tem iniquo animo ferat? Ridemus eos, qui com-
muni omnium contributioni eximere se sine causa
student. Mors commune tributum est, quod sol-
vere tenemur omnes. Et lubenter id quidem exsol-
vunt Christi membra, persvasa quippe, mortem
excipere vitam verè vitalem, nullis temporum spaciis
terminandam. Hac mente Paulus: *Mors mihi lu-
crum.* Quid enim consequimur? cælum. Quid
amittimus? terram. Quid moritur? non anima: hæc
enim in manu DEI est. Non corpus: hoc enim se-
minatur, & novissimo die resurget. Quid ergo, in-
quies. Dicam, quod res est, moritur miseria nostra,
moriuntur calamitates nostræ, moriuntur plenè pec-
cata nostra. Hæc cogitabitis in acerba duplicatione
vulneris acerbissimi, Optimi Parentes. Ante
occiduum, & quod excurrit, terræ mandastis Filio-
lam desideritissimam DOROTHEAM MARGA-
RETAM. Hodie ad dormitorium suum lugentes
deducitis Filiolum unicè dilectum THOMAM AL-
BERTUM. Cor vobis findi in hoc tam graviluctu,
saxeï pectoris sit, qui non agnoscat. At recolligite
animum ò boni, & conditionem humanam intu-
emini. Respicite præsentia tempora, in quæ ilias
malorum incumbit. Adorate providentiam divi-
nam, quæ cum vitam dedit infinitis molestiis expo-
sitam, voluit esse quam brevissimam. Æstimate
benignitatem divinam, per quam factum est, ut Fi-
liolus

Filiolus vester brevi tempore peregrinatus in patriam redierit & per trimestre unum atq; alterum jaçtatus ac laborans optatissimum portum solutus omni labore teneat. Vetuit olim Romanorum Rex secundus Numa, ne infans triennio minor lugeatur, reliqvistot dierum luctum concessit, quot vixerant annos. Quod si ratio frœnum injicere luctui Ethnicorum τῶν μὴ ἔχόντων ἐλπίδα potuit: quanto magis id apud Christiana pectora valebit, ut in hoc svavissimi Filioli obitu minuaturluctus? De quo rectè usurpari possunt Paulini in Panegyrico ad Pneumatium scripti versus consolatorii:

*Gratuler an doleam? dignus utroq; puer.
Cujus amor lacrimas & amor mihi gaudia soadet,
Sed gaudere fides, flere jubet Pietas.
Tam modicum Patribus, tam dulci è pignore fructum
Desleo in exiguo tempore esse datum.
Rursus ut aeterna bona volvo perennia vita,
Quæ Deus in cælo præparat innocuis.
Lator obisse brevi functum mortalia seculo
Ut cito divinas perfrueretur opes.
Ne terrena diu contagia, mixtus iniquis
Duceret in fragili corporis hospitio:
Sed nullo istius temeratus crimine mundi
Dignius aeternum tenderet ad Dominum.
Ergo Deo potius quam nobis deditus infans &c:
Nempe perire qui poterat, ut est malignum seculum,
jam perire divina bonitate neqvit. Quare, vos
submitтите divinae voluntati, Nomini Jehovæ be-
nedi-*

nedicite, per cuius misericordiam vester THOMAS ALBERTUS vestimento, quod est mortale, exutus est, ut æterno indueretur, atq; de tenebris ad lucem, de periculis ad securitatem, de inopia ad divitias, de prælio ad victoriam, de tristitia ad gaudium, de temporali vita ad perpetuam, de fœtore ad suavissimum odorem est subvectus. Natus est piè defunctus Anni præteriti M. DC LVI. die I. Junii circa X. vespertinam ipso Trinitatis festo, & mox per lavacrum baptismi regeneratus est. Patrem habuit Virum Reverendum & Clarissimum Dn. JOACHIMUM LINDEMANNUM Ecclesiastem Petrinum vigilantissimum, Collegam & in Christo Fratrem pl. colendum: & lectissimam omniumq; virtutum sexum hunc exornantium decore conspicuam EVA M Goldsteins. Avum Paternum habuit Virum Amplissimum, Consultissimum & Excellentissimum, Dn. THOMAM LINDEMANNUM, J. U. D. & Prof. celeberrimum, deq; hac Academia præclare meritum; Aviam Paternam ELISABETHAM Hagen/ læminam primariam & honoratissimam, nunc Viri Amplissimi & Consultissimi Dn. ADOLPHI FRIDERICI von Hagen/ J. U. D. & Practici solertissimi, Amici honorandi, conjugem dilectissimam. Avus maternus ei fuit Vir pl. Reverendus & Clarissimus Dn. JOHANNES Goldstein/ Ecclesiæ ad D. Nicolai per multos annos Pastor quondam fidelissimus, & Ministerii Rostochiensis Superintendens longè gravissimus: Avia materna fœmina laudatissima DOROTHEA AL-

ALWARDES jam Viri Reverendi & Clarissimi Dn.
M. REMBERTI Sandthagen/ Ecclesiastæ Nicolai-
tani fidelissimi, Collegæ & in Christo Fratris pl. co-
lendi Conjux dilectissima. Quæ de morbo & morte
ejus consignavit Vir Experientiss. & Excellentiss. Dn.
D. CASPAR MARCHIUS P. P. Collega honora-
tissimus, ea hic inferenda duximus. Ita vero habent.
*Malè habere caput beatus puerulus ipsâ Nativitatis Christi
feriâ primâ ubi consuetâ Variolarum imminentiû sympto-
mata, non tamen violenta nimis sese offerebant quibus cum
obviabatur idoneo medicamine, die statim tertio pro-
dibant pustula, auctò celeriter earum numerò, consq; uti
pars corporis nulla sequenti mox die conspiceretur ab his
immunis. Prævitatem & à præcipua materia arguere lice-
bat ex eo, quod, aliquot etiam diebus elapsis, parum at-
tollit sed ichorosò serò inlatum potius extendi & contigua
passim reddi variola viderentur. Curâ tamen omni ad-
hibitâ tandem maturesebant, & nonò morbi die elapsò
sensim sponte suâ tum rumpebantur, tum exarescebant &
decidebant. Undecimò appropinquante tussis quædam
& raucedo aliquot in interioribus Vitium superesse ar-
guebant, & quia dentium nonnullorum eruptio simul of-
ferebatur, pavores subinde experiebatur Infans catero-
quin quietissimus. Suspecta tum protinus fiebat morbi
hec duplicatio, si ve unius ad alterum quasi superatum
accessio, nihil tamen omittebatur, quod alterando calori,
conservandis viribus cordis cerebriq; conducere poterat:
Nec videbatur etiam causa desperata prorsus, quando qui-
dem*


quidem nec inquietudo, nec respirationis molestia nec convulsio aut his simile quoddam gravius symptoma animadvertebatur quin & jussula nutrientia ac medicamentosos liquores eadem facilitate, quâ lac maternum sugebat, assumebat, usq; dum divinâ sic disponente providentiâ mediâ inter 7. & 8. Januarii nocte, postquam factidus quodammodo vapor vesperâ precedente ex pectore per os occultioris in pectore labis haud obscurum indicium expirare deprehensus, oculos vitamq; placide in Jesulo salvatore suo clauderet.

Cum vero exanime corpusculum, quod animulæ hujc domicilium præbuit, hodie hora prima pomeridiana in dormitorium suum sit inferendum, rogamus & hortamur Cives Academicos, ut in honorem & solatium moestissimorum Parentum & memoriam clarissimarum familiarum ad funeris deductionem frequentes conveniant, Deo ter opt. Max. utramq; Rempubl. piis precibus commendent, & mortis frequenti meditatione se revocent à peccatis, *In quo enim quemq; invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto moritur, talis in die illo judicabitur.*

P.P. Rostochii XI. Jan. Anno M. DC. LVII. sub
Sigillo Rectoratus.

Conveniendum in Æde Petrina
hora prima.





ALWARDES jam Viri Reve
 M. REMBERTI Sandthagen
 tani fidelissimi, Collegæ & in
 lendi Conjux dilectissima. Q
 ejus consignavit Vir Experien
 D. CASPAR MARCHIUS
 tissimus, ea hic inferenda duxi
*Malè habere capit beatus puerula
 feriâ primâ ubi consveta Variola
 mata, non tamen violenta nimis se
 ob viam ibatur idoneo medicamin
 dibant pustula, auctò celeritèr ea
 pars corporis nulla sequenti mox
 immunis. Prævitatem & amplexu
 bat ex eo, quod, aliquot etiam
 tolli sed ichorosò serò inlatum pot
 passim reddi variola viderentur.
 hibitâ tandem maturelcebant, &
 sensim sponte suâ tum rumpebant
 decidebant. Undecimò appropinq
 & raucedo aliquod in interiorib
 guebant, & quia dentium nonnu
 ferebatur, pavores subinde expe
 quinqviescens. Suspecta in
 hac duplicatio, sive unius ad alt
 accessio, nihil tamen omittebatur
 conservandis viribus cordis cereb
 Nec videbatur etiam causa desper*

larissimi Dn.
 astæ Nicolai
 tratis pl. co
 bo & morte
 ellentiss. Dn.
 ega honora
 ero habent.
 vitatis Christi
 entia sympto
 nt quibus cum
 m tertio pro
 d, consq, uti
 retur ab his
 arguere lice
 his, parum at
 & contigua
 men omni ad
 bi die elapsò
 urelcebant &
 s quadam
 superesse ar
 ptio simul of
 fans catero
 fiebat morbi
 à superatum
 rando calori,
 cre poterat:
 quandoqui
 dem

